Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1891

Quelle:
Copyright:

aut prioris apud eum Epiſtolae ſubſcriptio in mendo cubet, aut tituli Epiſtolis perperam ſint adfixi; quomodo enim id *proſequendum* dicas, quod *peractum* dixiſti? Quarta demum inſcribitur: *De reſecandis Hæreticorum reliquiis in Styria, Carinthia et Carniola:* Auſpicatur ea: *Quod fælix fauſtumque ſit Serenitati Veſtræ ejusque in ævum ſemini* &c. et ſubſcribitur: *Lavanti in profeſto Divi Michaelis Archangeli Anno* 1615. Ita et apud *Hanſiz.* p. 744.

CCCCLXXXII.

731 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XVII. Folior. 158. 4. complectitur Excerpta e Scriptoribus Polemicis Catholicis *Jod. Keddio* S. J. *Joh. Zeſchlino, Andrea Frommio, Jac. Kellero* S. J. et aliis congeſta a *Mart. Neſſelio Moravo Weiſskirchenſi Danielis* Bibliothecae Noſtrae quondam Praefecti Patre, dum Scholae *Bremenſis* Rectorem ageret. Itaque ad calcem adſcriptum: *1662. Bremæ.* Huc pertinent, quae Epiſtolae ſuae ad *Petr. Lambecium* editae a *Kollario* in *Supplem. L. I. Commentar. Lambec. col.* 829. intexuit *Martinus: Hic* (Bremae) *ſingulari Dei beneficio et inſpiratione, in veritatem Luther: Religionis facta inquiſitione, et lectis ſtudioſe Pontificiorum Doctorum libris, deprehendi eam falſam; contra Catholicam veram et orthodoxam eſſe. Itaque abdicavi me ſponte officio, et finito examine verno XXV. Aprilis Anno MDCLXVI. — Brunam Moraviæ usque veni* &c. Non igitur a. 1667. ut habet *Joecheri* Lexicon, quod et clam profugiſſe *Martinum* adſerit, et e citata *Epiſtola* non parum emendari ſubplerique poteſt. Idem dic de ſupra memorato *Joh. Zeſchlino*, quem neque *Wilh. Wolfgangi Palatini Neoburg.* Cancellarium fuiſſe, neque ſuum ad Catholicos tranſitum *Apologia* edita defendiſſe, aut apud *Joecherum*, aut in *Lexico Univ.* reperies.

CCCCLXXXIII.

Codex chartaceus germ. lat. 888
gall. Sec. XVI. f. compilatus eſt e variis Scriptis, quibus diverſa Religionis Catholicae Capita impugnantur. Atque hic illorum Elenchus eſt: I. Conſideratio de Doctrina, Ceremoniis et Adiaphoris germanica, inſcripta: *Bedenckhen von der Ler, von nottigen Euſerlichen ſtuckhen vnnd Euſerlichen Mittlen Dingen*, et incipiens: *Es iſt nicht an* (ohne), *Trennung Zweiſpalt vnnd Schiſsmata haben ein ſcheuzlichs anſehen* &c. Subſcripſere *Lutherus, Bugenhagius, Jonas, Cruciger, Melanchthon, Amsdorfius* aliique 8. Notae temporis nullae. *Foll.* 16.

II. Epiſtola germ. *Lutheri* ad Matronam de Praedeſtinatione ſolicitam. Initium: *Gnad vnnd friedt in Chriſto. Tugendſame frau. Es hat mir euer lieben Briefe der*